

Excerptum ex epistola P. Josephi Aubery,
Evangelii præconis in Nova Francia, ad
P. Josephum Juvencium, de Mis-
sione S. Francisci Salesii, in
eadem Nova Francia.

GRATULARE mihi, et gratias age Deo, mi
Pater: in hac mea Missione tres quatuorue
tantum habeo nondum baptizatos: ceteri
Christum & virtutem colunt, non tamen sine labore,
ut inter barbaros, quibus assidue certandum est cum
ebrietate, superbia, et superstitione. Vino semel
graves neque rationem, neque pietatis leges ulla
audiunt: Sacerdotem, licet bene ac jure admonentem,
si præsertim est junior, superbè contemnunt, ac fero-
citer ut minus sapientem irrident: nam ætas apud
illos pars maxima Sapientiæ et auctoritatis est.
Somniis vero Suis, et aliis id genus observationibus
superstitiosis, miserè addicti sunt. Dices ista non
convenire Christianis. Fateor, si tales essent omnes,
quales germanos ac genuinos esse Christianos decet:
in Europa nostra quam multi Christiani graviora pec-
cant. Christiana lex homines peccati expertes non
facit, nec bene agendi necessitatem affert. Tum, uti
nos olim in Rhetorica docuisti, *Naturam expellas furca
tamen usque recurret.* Contra vitiosam hanc naturam,